

De begrafenis van Misenus (Verg. Aen. VI, 156-189)

Aenēās maestō dēfīxus lūmina vultū
ingreditur linquēns antrum, caecōsque volūtat
ēventūs animō sēcum. Cū fidus Achātēs
it comes et paribus cūrīs vestīgia fīgit.
Multa inter sēsē variō sermōne serēbant, 160
quem socium exanimum vātēs, quod corpus humandum
dīceret. Atque illī Mīsēnum in lītore siccō,
ut vēnēre, vident indīgnā morte peremptum,
Mīsēnum Aeolidēn, quō nōn praestantior alter
aere ciēre virōs Mārtemque accendere cantū. 165
Hectoris hic māgnī fuerat comes, Hectora circum
et lituō pūgnās īnsīgnis obībat et hastā.
Postquam illum vītā victor spoliāvit Achillēs,
Dardanio Aenēae sēsē fortissimus hērōs
addiderat socium, nōn īferiōra secūtus. 170
Sed tum, forte cavā dum personat aequora conchā,
dēmēns, et cantū vocat in certāmina dīvōs,
aemulus exceptum Trītōn, sī crēdere dīgnum est,
inter saxa virum spūmōsa immerserat undā.
Ergo omnēs māgnō circum clāmōre fremēbant, 175
praecipuē pius Aenēās. Tum iussa Sibyllae,
haud mora, festīnant flentēs āramque sepulcrī
congerere arboribus caelōque ēdūcere certant.
Ītur in antīquam silvam, stabula alta ferārum;
prōcumbunt piceae, sonat icta secūribus īlex 180
fraxinaeque trabēs cuneīs et fissile rōbur
scinditur, advolvunt ingentēs montibus ornōs.
Nec nōn Aenēās opera inter tālia prīmus
hortātur sociōs paribusque accingitur armīs.
Atque haec ipse suō trīstī cum corde volūtat 185
aspectāns silvam immēnsam, et sīc forte precātur:
'Sī nunc sē nōbīs ille aureus arbore rāmus
ostendat nemore in tantō! Quando omnia vērē
heu nimium dē tē vātēs, Mīsēne, locūta est.'

De gouden tak (190-211)

Inde ubi vēnēre ad faucēs grave olentis Avernī,
tollunt sē celerēs liquidumque per āera lāpsae
sēdībibus optātīs geminā super arbore sīdunt,
discolor unde aurī per rāmōs aura refulsit.
Quāle solet silvīs brūmālī frīgore viscum 205
fronde virēre novā, quod nōn sua sēminat arbōs,
et croceō fētū teretīs circumdare truncōs,
tālis erat speciēs aurī frondentis opācā
īlice, sīc lēnī crepitābat brattea ventō.
Corripit Aenēās extemplo avidusque refringit 210
cūctantem, et vātis portat sub tēcta Sibyllae.